EMBLEMA LXXVI.

Netrices.

LXXVI.

Dedecet vtilitas, quâ non ſeruatur honeſtas.

Turpe, atque in vitio eſt, linguæ nimis eſſe loquacis,
Nec iuſtum in verbis poſſe tenere modum:
Futilitas linguam nunquam decet vlla virilem,
Fœmineis quamuis proderit illa colis.
Aſpice, vt ad ſeram tacita ſub nocte lucernam,
Pellatur nuribus garrulitate ſopor.
Lignea non tanto reſonant crepitacula motu,
Illarum quantos dant hypocauſta ſonos,
Aut riſu, aut cantu, vel turpi tota cachinno,
Tecta, vel incomptâ garrulitate ſtrepunt.